



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Consideratio prima pro die Solis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO I.
PRO DIE SOLIS.
PUNCTUM I.

Peccatum est injuria DEO illata.

*Per pravaricationem legis Deum in-
honoras, ad Rom. 2. 23.*

CONSIDERA quotiescunque pec-
catum admittis, toties verâ in-
juriâ afficias DEUM, eumque contem-
nas. Neque id ita dictum existimes,
quemadmodum Methaphoris uti Ora-
tores solent, neutiquam verò, sed pura
puta est veritas, nihil per auxesin adul-
terata. Hoc sensu loquuntur omnes
Sancti Patres, Theologi omnes, ipsæ
que adeo sacræ paginæ, quæ id ipsum
inculcant creberrimè : peccatorem
furiis in DEUM agitari, insurgere adver-
sus ipsum, eumque habere contemp-
tui ac conculcare. Sed dices fortè, at-
qui ego non pecco, ut DEUM spernam ;
id solùm quæro, ut mihi, meæque lu-
bentia satisfaciam. Itane verò ? fac
esse ita ut dicis : at scire te oportet, dus-
plicis generis esse contemptum, ex-
pres

preſſum unum & directum, indire-
ctum alterum, quem Scholæ interpre-
tativum vocant. Ex te ipſo jam quæro,
nunquid contemni te cænſes à filio,
ſervo, conjuge, ſi, inſuper habitis
mandatis tuis, obedientiam tibi non
præſtent? Principem putas coli ab eo,
qui latas ab ipſo leges protervè infrin-
git? Nunquid amico illudis, cui ter-
gum vertis? & quis audebit delin-
quere in conſpectu judicis, quem ve-
retur? Pro certiffimo itaque hoc ha-
be: peccato quolibet contumeliam
irrogari Deo, teſte Apoſtolo ad Roma-
nos 2. *Per pravariationem legis, Deum
inhonoras.* Tametſi nolle te dicas in-
tentione, contrarium tamen oſtendis
facto, dum legi ipſius non obedis, ju-
ſtitiam non times, bonitatem non a-
mas, & omnipotentiam non æſtimas;
hec curas immenſitatem illius, qui vi-
det peccata noſtra, ea odit, prohibet,
& tantam inde concipit indignatio-
nem, ut, ſi mori poſſet Deus, cujus vita
eſt æternitas, mors ipſius futura eſſet
peccatum mortiferum (A) Vide igitur,

an sit ratio dicendi tam intrepidè ;
non pecco, ut Deum offendam, sed ut
mihî satisfaciam.

PUNCTUM II.

Quis sit offensus?

3. *Nonne Dominus ipse, cui peccavimus.*
2. *Isaiæ 42. 24.*

II. **C**ONsidera, Quis sit ille, quem
contemnis. Finge intellectui
tuo pulchritudinem tam excellentem,
quæ solo sui aspectu omnium rapiat
corda mortalium, ita ut vel semel eam
uno duntaxat momento intueri, sit
longè æstimabilius, quàm per multa
annorum secula frui omnibus hujus
mundi voluptatibus. Finge Majesta-
tem tam sublimem, cujus in obsequi-
um omnia perpeti tormenta plus va-
leat, quàm toti mundo dominari. Fin-
ge bonitatem tam immensam; quam
unâ solùm cogitatione offendere pe-
jus sit, quàm re ipsâ in nihilum redi-
gere cœlos, naturam destruere univer-
sam. Atque his omnibus cogitatione
atque animo conceptis, quotam essen-
tiæ divinæ partem censes te attigisse?
est

est

Consideratio I. ¶

est enim-verò infinitè adhuc major
omni eo, quod concipere intellectus
noster potest. Finge plures semper &
plures perfectiones, eàque centies,
millièsque multiplica, arithmetica
proportione eas compara stellis firma-
menti, aëris atomis, guttis aquæ; scito
tamen, enormem hanc multitudinem,
Dei perfectionibus collatam, infinitis
modis adhuc esse minorem, quàm sit
exilis vermiculus, cum toto compa-
ratus universo. Quid igitur animo
concupis; cum Deum audis, quid pu-
tas hâc voce significari? nempe fuisse
omni tempore, occupare omnem lo-
cum, scire omnem veritatem, possidere
perfectiones omnes, posse, quantum
libet, omnibus denique bonis frui.
Rectè ais; hunc tu autem Dominum
universorum, qui major est omni no-
stro cogitatu, melior omni eo; quod
usquam est, fons & origo rerum om-
nium, qui solo sui aspectu æternùm
reddere te beatum potest, hunc tu
Deum peccato lethali probrosè laces-
sis? neque tamen expavescis?

PUNCTUM III.

Quis sit Offensor.

*Terra est cinis. Eccle. 17. 31. Testa
de sams terra. Isaia 45. 9. Pulvis
ante faciem venti. 34. 6. Nihilum
est inane. Isaia 40. 17.*

III. **C**onsidera, Quis ille sit, qui
hunc Dominum offendit, tan-
taque afficit injuriâ. Temetipsum igitur
corpore tenus considera. Esne aliud,
quàm nihilum luto vestitum?
paucos ante annos, nec hilum quidem
tui erat in rerum natura, paulò post
rursum à vermibus consumere, & mo-
dicum illud, quod superest, in cineres
redibit. Hoc igitur paucillum pulvis-
culi audet adversus Deum insurgere?
considera te postmodum in peccato
Originis conceptum, neque aded te
fuisse prius, quàm esses inimicus Dei,
mancipium Diaboli, privatus omni
gratiâ, æternùm cœlo exclusus, Hære-
ditas tua est ignorantia mentis, malitia
voluntatis, imbecillitas ad bonum,
pruritus an malum insatiabilis. Huic
pessimæ hæreditati adjecisti ex tuo tot
pec.

pec.

peccata actu commissa, atque enatas
 inde pravas habitudines, quibus debi-
 torem te fecisti divinæ justitiæ, omni-
 que auxilio indignum. Quod si peni-
 tius adhuc temetipsum cupias dignos-
 cere, institue comparisonem te inter
 & genus hominum universum; quan-
 tula tu igitur, Deum immortalem! es
 portio tantæ multitudinis hominum,
 nempe qui fuerunt ab initio sæculo-
 rum, sicutque hodie, & erunt ad finem
 usque mundi. Quis verò, es etiam
 comparatus omnibus Angelis, omni-
 bus rebus creatis, & creandis, quæque
 adhuc latent in thesauris inexhaustæ
 Dei potentia? Quis te unum ex innum-
 merabili hac multitudine dignosce-
 ret; quis ullam tui haberet rationem?
 quod si quasi nihilum reputeris, in com-
 paratione tot innumerabilium rerum
 creaturarum, cogita quid sit collatus
 Deo, in cujus oculis omnis hic nume-
 rus, atque hoc omni infinitè etiam
 major, perinde est, ac si non esset?
Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, Isaiaë 40. Quid nunc ais? an

adhuc sat animi tibi est, cum peccatoribus laeessendi Deum? profectò nè formica quidem desiperet magis, solem insano ausu impetitura.

ORATIO.

Quid magis admirer, Benignissime Deus, sanè nescio, tuàmne inauditam patientiam in me tolerando, an meam incredibilem impudentiam in te offendendo, id sanè: inquam nescio. Ego te considero in throno Majestatis tuæ, innumerabilium Angelorum, & beatarum mentium multitudine stipatum, qui dum vident infinitam magnitudinem tuam, præ tui reverentia contremiscunt, & horrore attoniti sacrum illud trifagion absque intermissione ingeminant: Sanctus: Sanctus: Sanctus! Neque hac irrequietâ laude contenti, cooperiunt facies suas venerabundi, & prosternunt se ante pedes tuos, velut qui non mererentur assistere throno tuo, ego autem abjectissimus vermiculus, dum hi te adorant, & colliquescunt amore ac reverentiâ tui, ignominiiis te, ac contumeliis laceffo,

quos

quos si tu feras diutiùs malitiæ excessus, & ego committere porrò pergam, non video sanè quomodo aut clementia tua, aut mea malitia progredi plùs ultra possit. Merebar equidem, cùm primùm peccassem, ut hæc, cui infisto, tellus non ferret me ampliùs, merebar ut ad obsequium meum deinceps non essent elementa, neque suam mihi impostero Sol ut lucem dispensaret, sed fulminibus totidem, quot radiis feriret, merebar, ut novus pro me solo atque unico fabricaretur infernus, novus inquam, quia vetus ille, qui nunc est, castigandis sceleribus meis non erat suffecturus. Tu autem, mi Deus, in locum horum omnium, offers mihi gratiam tuam, primùsque pacem expetis. O Bonitatem inauditam! O patientiam omni majorem humanâ, verèque divinam! advertite igitur aures, vos cœli incolæ, ad mentis meæ sententiam. Ut respondeam quadam tenùs tanto amori, protestor, quòd, tametsi infernus non esset, peccatum tamen mihi displiceat magis, quàm omni

omne aliud malum, idque unicè, quia est offensa Dei mei, quam neque committam amplius totius mundi gratiâ, licèt inferni essem prorsus securus. Hunc meum vestitumque Deum habebō imposterum eo loco, quo meretur haberi bonum infinitum, inestimabile, incommutabile; quod solum infinita abyssō misericordiæ suæ demergere potest abyssum malitiæ meæ. Proterva hæc lumina, infelices hæc manus, lingua ista miserabilis, & corpus hoc fragile, quæ instrumenta fuere peccati, volo, ut deinceps & pœnitentiæ serviant, Tu mi Deus, per hanc ipsam bonitatem tuam, per honorem sanctissimi nominis tui, per gloriam divinarum tuarum sponsonum, concede obsecro, ut ita fiat, & misericordias tuas novis miserationibus cumulando, ita transmota cor meum, ut quantum nomini tuo hætenus fui refractarius, tantundem imposterum sita fidelis; quantumq; te offendi, tantum tibi serviam, jamque hoc momento incipiam nunquam finiturus in æternum, Amen.

CON-